

Tertia virtus Imperatoris secundum Ciceronem est industria in agendo, quæ circa minuta tempus haud terie, nec anfractuoso sufflamine causam protelat: sed paucorum dierum stativa habet, & belli caput petit, adeoq; nominis celebritatem non superbiæ sed industriæ habet incitamentum. Ignavus siquidem vir, inquit Pindarus Oda prima Olympiorum, non suscipit magnum periculum. Vnde licet DEUS & occasio summam universi operis gubernant, ut Plato in quarto de legibus inquit: tamen præstabilius est concedere, propriam industriam esse adjungendam: ut in navigatione etsi tempestas dominatur: tamen non sunt ociosi remiges: sic in bello etsi DEUS omnia moderatur: tamen propria industria haud excluditur. Gaudent profecto divina perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetat æternitas: Vt indefessa vertigo cælum rotat: ut maria æstibus inquietata sunt: ut stare sol nescit: Ita Rex noster continuatis negotiis & in se quodam orbe redeuntibus semper exercitus est.

Cum hac industria in agendo connexa est vigilantia; Neq; enim virum bellicosum in longam stettere decet noctem, sed (verba Taciti recognoscite) sollicitam vigilantiam anxiasq; curas exercere. De Iasone Argonautarum duce Valerius Flaccus egregie loquitur:

*Jamq; mero ludoq; modus, positiq; quietis
Conticuere thoris, solus quibus ordine fufis
Impatiens somni ductor manet.*

Vtraq; certè virtus in nostro Rege ita enituit, ut pluri-